

Johann Wilhelm Baier    Georg Balthasar Seelig


## **Ad Esaiae C. XLIX, 24, 25. De Praeda Robusto Erepta, Sive De Captivorum A Satana Liberatione Per Christum**

Ienae: Wertherus, 1690

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn788067281>

Druck    Freier  Zugang






75.



Fa - 1092 (75)



75

1. S.  
2.  
3.  
4.  
5.  
6.  
7.  
8.  
9.  
10.  
11.  
12.  
13.  
14.  
15.  
16.  
17.  
18.  
19.  
20.  
21.  
22.  
23.

Tomo hoc. **XXVIII** continentur:

1. Seb. Schmidii Commentarius in L. Ep. Johannis. 1688.
2. — Anal. et Paraph. Epistolae Jacobi Argent. 1685.
3. — De Fide Mosaisca circa Myst. S. Trinit. 1654.
4. — De Deleatione è libro Vita. 1655.
5. — De Inramentic. ad Matt. V. et. xpm, eb. Argent. 1663.
6. — Invektivum Christi in Pharisaeos Ex. tu Matt. xv. 1661.
7. — De Didrachmic. à Christo solutis. 1663.
8. — Fides miraculosa. 1680.
9. — De Ficu à Christo arefacta. 1662.
10. — De merito. 1663.
11. — ad locum Jo. VIII, 25. 1661.
12. — ad locum Jo. VIII, 47. 1661.
13. — Resolutio brevis Cap. IX ad Rom. 1658.
14. — De Primativ. Resurrectionis Christo. 1666.
15. — De Baptismo Super Mortuis. 1656.
16. — De Angelis in genere. 1662.
17. — De Peccato Origine. 1657.
18. — De libero Hom. Arbitrio in Spiritualibg. 1658.
19. — De libero Hom. Arbitrio in non Spiritualibg. 1657.
20. — Νίσις ἡγοῦνται. 1661.
21. — De Imputatione in opere Iustificat. 1656.
22. — De Phrasi Indurare. et excoecare. 1655.
23. — De Ecclesie Catholicismo. 1657.

- \* 24. Sebast. Schmidig de Duabz circa Sacram. Circumcis.  
Propositionibz. 1654.
25. —. De Statu Beatorum in Vita aeterna. 1675.
26. —. De Obligatione Form. Concordia. 1680.
27. —. Tractatibz Talmud. Sebachim. cūstmot. 1662.
28. Jo. Brissinij De Circumcisione Ippora. 1663.
29. —. De Eli Uli Lamah. Sabar tani. 1663.
30. —. An Christus Agmū Paschalem eodem cum Jud. tem.  
pore edent. 1674.
31. Balthasar Reithig de Cabala. <sup>Tulbr.</sup> 1662.
32. Guilielm. Bayer de Præda Robusto exerta Ina elyo.
33. Jo. Feichti Expositio Oraculi Ysaiani LIII. Argent. 1662.
34. Balth. Scheid de Protevangelio. Argent. 1650.
35. —. Jonac Propheta expositus. 1665.
36. —. Kikajon Jonæ. 1653.
37. —. Ad caput ultimum Ultimi Prophete. 1664.
38. Lud. Hennig Munsteri Ammalia est vetita.  
Gene. 1687.
39. Zentgraff prodr. de loquod Deum dicit Ag. 1677.
40. Georgi Calixti Expositio literalis Ipsi phesios.

Pro M. Jo. Philippo Storrio  
1696. Heilbr.

32.

I. N. I.  
Ad Efaia C. XLIX, 24, 25. —

De  
**PRÆDA ROBUSTO  
EREPTA,**

32.

SIVE De  
**CAPTIVORUM  
A SATANA LIBERATIONE  
PER CHRISTUM.**

33.

RECTORE ACADEMIÆ MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DOMINO  
**JOANNE GVILIELMO**

Duce Saxoniae, Juliae, Cliviae ac Montium,  
Angariae & VVestphaliae, &c.

PRÆSIDE  
**JOANNE GVILIELMO BAJERO**

S. Theol. D. & Prof. Publico,

*cum commilitonibus publicè disputabit*

AUCTOR  
**GEORGIUS BALTHASAR Seelig/**

Heilbronnensis ad Nicrum,

*ad d. i. August. Anno Christi 1710 Ico XC.*

I E N Æ,

Literis JOH. DAV. WERTHERI, Typogr. Ducal.

D. 15.

1710



Ad Miss. C. XLIX. 24. 27.

PRADA ROBUSTO

ERET A

SIVE DE

CAPTIVORUM

A SATANA LIBERATIONE

PER CHRISTUM.

RECTORE ACADEMIE MAGNIFICENTISSIMO

VERENISSIMO PRINCIPIS AC DOMINI

D. O. M. I. N. O.

JOHANNIS GUILIELMO

Duce Saxoniae, Juliae, Cliviae ac Montium,

Angariae & Westphaliae, &c.

JOHANNIS GUILIELMO BAIERO

S. Theol. D. & Prof. Publico,

et Universitatis pastori regentis

AUCTOR

GEORGIVS BALTHASAR Ecolig

Hellbornensis ad Nicium,

et ad Augustam Civitatis eius Regis.

1741

Licentia JOH. DAV. WERTHERI, Typogr. Ducal.

D. 1741



## DEDICATIO.



lemnium est, & quod excurrit, quò patrios lares dereliqui & Salanum hocce Lyceum conscendi. Ob-  
tigit autem interea temporis patria fermè illud  
quod Poëta de Troja canit : Fuimus Troës.  
Quippe, ad mentem hostium truculentorum, tota  
Respublica radicibus extirpari debebat : quod etiam  
certo effectus datum fuisset, nisi gemitus afflictorum DEI solium con-  
scendissent. Nam sanè formidabile tempus illud erat, quo Gallorum  
exercitus agrum invaserat vestrum ô Heilbronnenses ! ( quod factum  
5. Octobr. 1688. circa horam secundam pomeridianam, ) &  
minas nimium grandes evomuerat. Ast magis periculosum tempus  
illud erat, quo mine antegressa effectum suum nacta, & cohors Regia,  
cum vestra mœnia superavit, totam Rempublicam terrore maximo  
replevit, ( Dies erat 7. Octobr. idemque XVII. Domin.  
p. Trin. horis pomeridianis. ) Taceo illum temporis cursum, quo  
præter Exercitus Regii duces etiam miles quisque gregarius, dum sua  
ditionis urbs adhuc esset, primas ferè in ea tenuit : quantis interim  
angustiis, quantis tribulationibus, miseri habitatores fuerint pressi,  
tantum non suppressi, quod ne quidem satis depingere possem : dura-  
bat enim hæc Gallorum possessio urbis, ad XXII. Decembr.  
st. v. & sic per undecim hebdomadas. Vivi interim apices sunt,  
muri devastati, templum fumo consumptum, & ædes adjacen-  
tes eodem igne destructæ. Sed ultima prioribus longè deteriora  
fuerant. Omnium luctuosissimam diem illam dico, quâ prævia quasi  
convasatione ac in unum conclave deductione VOS, VIRI STRENUI,  
NOBILISSIMI, AMPLISSIMI, CONSULTISSIMI, EXCEL-

) 2 (

LEN-

33

39

19.64

LENTISSIMI, PRUDENTISSIMI, SPECTATISSIMI atque  
DOCTISSIMI DOMINI

DN. L. IOANNES DAVID  
Feyrabend/ Consul. Prim.

DN. GEORGI CHRISTOPH.  
HOFMANN, Consul.

DN. PETRE ROSSKAMPF.  
Quæstor & à Consiliis.

DN. D. JO. ESAIA à RÜHLE.  
à Consiliis.

DN. JO. GEORGI PFIZERE,  
à Consiliis.

JCTI Celéberrimi, Patriæ Patres, Rei-  
publicæ columina; Fori ornamenta.

ut &

NOBILISSIME, AMPLISSIME & EXCEL-  
LENTISSIME VIR,

DN. IO. MARTINE ZAND,

Præfecte sedis Ducalis Württembergicæ, quæ  
Heilbronnæ est, meritissime, JCTE  
celeberrime;

à cache-

de cathedra Regimini Vestri cum ejulatu non tam Vestro quam Vestram,  
armis & vi rapti; misere abducti, urbe educti, ab uno intolerabili  
hospitio in alterum hinc inde deducti fuistis, per saxa, per ignes, ni-  
vem, nimbosque frigusq. Heilbronnâ scilicet Philippopolin, (quod  
venistis die 24. Decembr. anno 1688.) hinc Argentoratum, (ad-  
ventus erat 23. Jan. 1689.) Argentoratâ-Pfalzburgum, (31. Maji):  
Inde Nanciam Lotharingæ: (30. Augusti,) hinc Besançonem Burgun-  
dia (7. Septemb.) Besançonem-Besortum Alsatia superioris (29. Jan.  
1690.) hinc rursus Argentoratum ejusdemque loci castellum (Cittadel)  
(6. Martii,) tandem hinc in patriam: ubi (d. 20. Maji,) recepti  
estis. Quibus in carceribus vestris serè omni conversatione civili non  
modò propria invicem, sed & aliorum, loca illa inhabitantium, pri-  
vati fuistis, alius ab alio divulsus: prospectus erat vel nullus vel defor-  
mosus magis: omitto sexcenta alia mala, qua catervatim in vos ir-  
ruerunt: qua tamen omnia quamvis innocentissimi, patientissimi ta-  
men imò magnanimi tolerastis. En autem in hoc fatorum cursu divi-  
nam providentiam quantum ea sese diffuderit! Etenim, nec mirum  
fuisse, si vel prima hebdomade aut mense mortem obiissetis, cum Ca-  
ptivitas vestra tam tetra, tam egena & misera fuerit, tamen gratiosâ  
DEI manu (cui sint immortales gratiæ) ad vitam conservati fuistis.  
Accedit ingens divina protectionis specimen in hoc etiam, quod fami-  
liares Vestri, durante per quator integros menses gravi contagione, cum  
presentissimo periculo consuctati, incolumes tamen custoditi fuerant.  
Verumenimverò omnium fortissimè sese exeruit providens Dei manus,  
quando latabilem illam horam concessit, quâ Vos Reip. Heilbronnensis  
Præsides redemptionem vidistis & vincula vestra rupturam fecerunt.  
O quantum gaudii Adventus Vester patria retulerit? qualinam letitia  
& honoris genere ea conspectum Vestrum, quò tam diu orbata erat, sa-  
lutaverit? & felicem faustumque esse iusserit. De nemine sanè ci-  
vium dubito, quin omnibus horis de reditu vestro sollicitus fuerit, cum  
antea, è patria discessus Vester omnibus luctuosus videretur, ut  
cum Tullio loquar. Licetumne mihi humillimo Clienti scribere quid  
sentiam? O quantas preces in cælum transmisi, pro restitutione Ve-  
stra in patriam & liberatione ex vinculis, præsertim cum fama ferret  
de relegatione vestra ad triremes. Proh! quoties Davidicum  
illud meum feci: Quis dabit ex Sion auxilium Israël, quando

( 3

aver-

33

3

7

39

19.64

averterit Dominus Captivitatem populi sui ? Nimirum non solum  
patriæ meæ Antistites, sed studiorum meorum Mecænates, strenui pro-  
motores, captivi fuerunt, ut adeo jure Eos verbis Ciceronis alteros  
fortunarum mearum propugnatores & defensores assiduos  
appellare queam. Quapropter fateor me gaudio ceu delibutum reddi-  
disse illas literas, quibus certior factus sum de Tuo improvise quidem  
adeoque magis latabili adventu **VIR CONSULTISSIME DN.**  
**Lt. FEYRABEND**, qui Tuus accessus non tam indicium fuit  
instantis redemptionis reliquorum **NOBILISSIMORUM &**  
**EXCELLENTISSIMORUM DOMINORUM**  
**COLLEGARUM**, quam incitamentum ad ardentius colligen-  
dum à Gallorum Rege præscriptum lytrum 50000. Imperialium, ut, eo  
collecto & persoluto, felicior exitus reliquis adhuc desudantibus in Patmo  
sua feret. Verùm, ô magis exoptatam famam ! quæ meas pervenit ad  
aures & nuncia fuit de plena liberatione Vestra. Deliberabam sanè  
quàm citò, quodnam letitiæ & memoriæ signum ederem, an satius sit,  
speciem gratulationis Vobis ? an gratitudinis DEO offerre ? persuasum  
mihi tandem habui utrumque locum invenire posse. Hinc selectum fuit  
Thema ad disputandum non incongruum de **PRÆDA ROBUSTO**  
**EREPTA**; sive **CAPTIVORUM à SATANA LIBERATIONE**  
**PER CHRISTUM**; ad ductum Prophetae **Esaïæ, c. XLIX, 24, 25.**  
eò sine præsertim, cum sub imagine Captivitatis Vestræ Corporalis,  
facile Christiana pectora recordentur Captivitatis nostræ Omnibus  
communissimæ, animarum scilicet nostrarum sub manu Diaboli:  
unde tamen Christi sanguine velut λύτρωσιν soluta, liberati sumus. Quã-  
propter accipite **VIRI STRENUI, NOBILISSIMI,**  
**AMPLISSIMI, CONSULTISSIMI, EXCEL-**  
**LENTISSIMI, PRUDENTISSIMI, SPECTA-**  
**TISSIMI, atque DOCTISSIMI DOMINI, &c. &c. &c.**  
**PATRONI, MECÆNATES, ET FAUTORES**  
studiorum meorum **MAGNI**, paucas hæc pagellas, quas offert  
Cliens **VESTER** subjectissimus, non eò, ut specimen eruditionis ac  
doctrina inde eruatis, sed **ἡμετέριον** summæ observantia & debiti, quo  
obstrictus

obstrictus atatem teneor, habeatis. Interim dum vita superero mea,  
sursum preces meas pro REGIMINE TRANQUILLO ET  
NON AMPLIUS DISTRAHENDO devotissime diri-  
gam, & divinum Numen supplex implorabo, ut Pylios per annos Co-  
lumina Patria sitis, maneatis, & ego in cursu studiorum meorum ha-  
beam de quibus pie mihi gratulari queam valeamq. Favete huic  
quod submissa mente

consecrat

VESTER

humillimus servus

GEORGIUS BALTHASAR SEELIG.



Præ-

33

3

7

39

19.64

*Præxinio & Humanissimo.*

DN. GEORGIO BALTHASARI SEELIG,


Disputationis hujus Autori,

*Amico suo, pietatis, diligentia, & modestia nominibus  
admodum dilecto atque honorando,*

JOANN. GVILIELMUS BAJERVS, D.P.P.

*Salutem!*

Cum eos, qui studiis addicti, ad futura merita sese præparant, quælibet industriæ ac profectuum specimina facillè commendent bonis; Tu mihi punctum omne tulisse videris, Amice, qui uno conatu atque opera præsentis Disputationis, Studiosi pariter egregii & Civis boni, & Clientis grati, & Homini sincere Christiani, numeros explere satégisti. Varia patebant varii generis argumenta, in quibus ingenii vires exerceres. Sed & Patriæ fata, & Optimatum inprimis tristes casus, ac summa rerum discrimina observabantur animo. Ex voto accidit, quòd abductos in mœstissimam captivitatem Senatores nobilissimos, post moram sanè diuturnam, nec nisi ingentis pretii factâ solutione; jucundissima tamen ac Republicæ profutura libertas concessa est: idque Tibi quotidianis precibus desideranti resciscere licuit. Sic divinum illud verbum *de præda robusto erepta*, quod Esaias promulgavit, unò velut oculo, humanum quoddam *χρημα*; altero autem, *miraculosam gentium liberationem è captivitate hostis* cõmunis hominum ac Dei, intuendum sibi objecit. Atque huc flexa animi cogitatione, jam non tantum in studiis Academicis voluisse proficere, sed profecisse; inprimis sacræ doctrinæ scrutatorem, custodem ac vindicem esse; sed & Patriæ fati difficilioribus indoluisse, lætioribus applaudere; Senatores ac Patronos Tuos, honore obsequio precibus colere; denique ad præxin vitæ sanctioris dirigendam, corrigendam firmandam curas Theologicas convertere Te ostendis. Quo nomine & Tibi ex animo gratulor, & studia Tua ac fortunas Mæcenatibus illis Tuis, Republicæ Heilbrõnensis Patribus gravissimis, [quorum aliquos Academicæ vitæ societas mihi olim amicos fecit, tantoque magis in consortium mœroris nuper, jam gaudii me vocavit,] meritò commendo, Illis verò ac Tibi gratiam Dei & felicitatem *μετ' αὐταρχίας* perpetuam precor, Scrib. d. xxvi. Julii, A. C. cl. lxxc. XC.



## PROOEMIUM.



Uamvis inter Doctores , cūm Ju-  
dæos tum Christianos , non facile  
deprehendantur , qui inficias eunt  
Captivitatem Babylonicam, sive mise-  
ram populi Israelitici è Palæstina mi-  
grationem & deductionem in regnum  
Babyloniæ, per Cyrum abrumpendam,  
collatione statûs multò melioris ; fuisse typum alicujus mali  
insignioris, per Messiam auferendi ab his, quorum causam ge-  
sturus & sortem prosperrimâ iis allaturus erat : Nam & Judæi  
per liberationem illam particularem eorum, qui Babylonem  
deportati fuerant, universalem aliquam omnium suæ gentis  
exulum, ex omnibus tribubus in terram Canaan reductionē  
& statûs pristini, qui felicissimus unquam fuit, restitutionem  
præfigurari (corporalia seu carnalia sectantes) existimâ-  
runt. Christiani autem, revelatione Evangelii de myste-  
riis, ad quæ Judæi oculos mentis occluserant, edocti ; ca-  
ptivitatem illam veterem Spiritualis in regno Satânæ &  
Principis hujus mundi detentionis & captivitatis ; & con-  
trâ, liberationem ex captivitate Babylonica per Cyrum Per-  
sarum Regem factam, insignem fuisse typum restitutionis &

A li-

33

3

7

39

19.64



liberationis animarum ex fauce Diaboli , per mysticum  
Cyrum CHRISTUM scil. factæ agnoscunt. Attamen  
quod in nostro loco Esaïæ c. 49. præsertim v. 24. & 25. ta-  
lis typus & antitypus locum inveniatur, pridem atque hodiè à  
Nostratibus aliisque non paucis in dubium vocatur. Quip-  
pe, accuratiùs mentem Prophetæ si perpendamus, patescet,  
quod in hoc c. 49. Prophetæ quasi discedat à typis, & Mes-  
siam ipsum loquentem introducat; sic ab umbra ad verita-  
tem tendat. Quod agnovit ipse B. Lutherus qui in *b. l.*  
scribit: *Esaïas primâ parte absoluta, hic novum quasi li-  
brum orditur, & prophetat de futuro regno Christi usque  
ad finem, de quo magnifice loquitur, ut tamen promissiones  
hæc spiritu intelligi debeant, nec pertineant ad corporale re-  
gnum.* Præcesserat enim in fine cap. 48. prophetia de  
liberatione populi Judaici Babylonem deducti, procuran-  
te Deo, ministrante Cyro. Hæc libertas autem erat ty-  
pus eminentioris libertatis, quam à Dæmonis Tyrannide,  
oppresso mundo attulit Servator mundi: proinde ad  
hanc accurato nexûs ordine statim erumpit Propheticus  
ardor c. 49. & in tota hac prophetia, ut & c. 50. Messias  
in propria persona Orator est, & arcanorum cœlestium  
N. T. temporibus Evangelicis reservatorum præco magni-  
ficentissimus, teste B. Varenio *Comm. in b. l. p. 186. seqq.*  
Quamvis enim primò intuitu alicui videri possit, typum  
& antitypum hîc adhuc deprehendi, mox tamen tenen-  
dum, quòd stylo Prophetico solenne sit, sub specie corpo-  
ralium, quæ notiora sunt nobis, magisque in sensus incur-  
runt; spiritualia exprimi, ut nihilominùs mens sacro-  
rum scriptorum aliquando non sit, promittere corporalia,  
piritualium typos; & per ea demum significare spiritua-  
lia; verùm hæc directè & simpliciter polliceatur, à pro-  
mit-

mittendis corporalibus autem jam penitus sit remota. Rata ergò manebit sententia, quam DEO annuente in breviori hac dissertatione ventilandam & pro virili defendendam suscepimus, quòd nempe, sicuti in toto c. 49. de spiritualibus sit sermo, ita præsertim v. 24. & 25. agatur tantùm de captivitate spirituali, qua nos satanas velut prædam detinuit; & de subsequente liberatione per Christum fortem illum Israelis factà: quam sententiam quoque & turba Doctorum, & ipsa qualitas verborum textûs, optimè confirmat. Quare eam ad quatuor reducemus capita: 1. analysin textûs prophetici. 2. veræ sententiæ probationem & confirmationem. 3. contrariarum sententiarum examinationem & refutationem; denique 4. usum Theoretico-practicum circa captivitatem & liberationem animarum nostrarum occupatum afferemus. Quem conatum, supremum Numen prosperum esse jubeat!

## CAP. I. De Analyfi textûs.

### Thef. I.

AD exactiorem cognitionem instituti nostri primùm, breviorē instituemus textûs prophetici ἀνάλυσιν. Verba autem in fonte Ebræo ita se habent: מִלְּקוֹחַ וְאֶם-שָׁבִי צַדִּיק וְיִמְלֹךְ: כִּי-כֹה אָמַר יְהוָה: מִלְּקוֹחַ וְאֶם-שָׁבִי גִבּוֹר יִקַּח וְיִמְלֹךְ עָרִץ וְיִמְלֹךְ: quæ interpres *Vulgatus* ita transtulit: v. 24. Numquid tolletur à forti præda? aut quod captum fuerit à robusto salvum esse poterit? v. 25. Quia hæc dicit dominus; equidem & capti-

19. 66

vitas à forti tolletur, & quod ablatum fuerit à robusto salvabitur. Melius secundum fontem & constructionem syntacticam ita redduntur : *Anne auferetur forti rapina? & an captum justī eripietur?* Ita enim inquit dominus, imò captum forti auferetur, & prada robusti eripietur. Græci LXX. transtulerunt : Μὴ ληψέαι τις παρὰ γίγαντος σκύλα; καὶ ἐὰν αἰχμαλωτεύσῃ τις ἀδικῶς, σωθήσεται; ἔτι ἔτι λέγει κύριος : ὅτι ἐὰν τις αἰχμαλωτίσῃ γίγαντα, ληψέαι σκύλα, λαμβάνων δὲ ὧδ' ἰχθυοῖ, σωθήσεται. Quæ quidem ab Ebraeis non parum differre constat. Rectius his respondet, quod *Symmachus* quoad v. 24. reddit : Μὴ ληφθήσεται ὧδ' δυνατὸς λήψις, ἢ αἰχμαλωσία δικαίᾳ διασωθήσεται.

Thef. II.

Quæritur autem & disceptatur inter interpretes, quod nam sit subjectum loquens in verbis interrogativis, vers. 24. Deum in sua persona aut suo nomine illa non eloqui, fortasse ex eo patet, quod statim vers. seq. 25. Deus velut alteri dubitanti responsurus & scrupulum exemtus, loquens introducitur. Quis ergò alius hîc loquatur, disquiritur. *Franc. Junius* verba hæc *Gentibus & pradonibus expilantibus Ecclesiam*, adscribit, quorum sermonem anticipet Deus, tanquam ludificantium promissiones divinas. *Franciscus Forerius* autem Judæorum incredulorum voces has esse putat, promissionibus divinis obloquentium. Communior sententia est, Ecclesiæ hanc esse orationem, difficultatem rei promissæ seu liberationis istius, animò reputantis. Sic enim ex Nostris *Brentius*, *Ofsander*, *Vinarienses*, *Varenius*, aliique : ex Reformatis *Munsterus*, *Gualtherus*, *Sculdetus*, & qui sub Vatabli nomine notas edidisse putantur, *Leo Jude* atque *Pellicanus* : ex Pontificiis *Isidorus Clarius*, atque ipse *Lyra* : denique *Grotius*. Et certè cùm priora

ver-

verba Dei ad Ecclesiam directa sint, non poterunt hæc alii  
rectius quàm Ecclesiæ tribui, quæ auditis promissionibus  
amplissimis in admirationem tracta; simul etiam infirmi-  
tate humana, atque hinc orâ tentatione ac dubitatione,  
voces ejusmodi emittat. Nimirum interrogatio illa non  
est negantis, aut impossibilitatem promissori exprobrantis;  
sed, ut aliàs non rarò fit, admirantis ac dubitantis non mi-  
nùs esse potest, atque hîc esse deprehenditur. Grandis  
enim pollicitatio rei difficillimæ præstitu hæc est, quâ op-  
pressis liberatio & quies offertur: ac fortassis hic contin-  
git, quod aliàs in proverbio dicitur: *Quis Herculi clavam  
aut Jovi fulmen eripiat?*

Thef. III.

At, paucis dispiciemus de quibusdam vocibus in textu  
nostro positis: & quidem primò quid sibi velit vox גבור  
quam oriundam scimus à radice גבר, *valuit, potens fuit,  
robustus fuit.* Chaldeus in sua paraphrasi retinuit eandem  
radicem גבר & reddidit גברא. LXX. per γίγασα. In scri-  
pturis innumeris ferè modis habetur vox גבור, evolva-  
mus autem potiores & ad præsens aptiores acceptiones (1.)  
*Gen. X. 8.* usurpatur de *Nimrodo*, ubi dicitur גבר בארץ  
*potens in terra.* (2.) *1. Sam. XVI. 18.* adhibetur de filio *Isai*  
 *Davide*, qui גבור חיל *potens robore*, aut vir robustus ap-  
pellatur. (3.) *Jobus c. XVI. 14.* hanc vocem ipsi DEO tri-  
buit, eumque describit, ut *prepotentem hominum incurso-  
rem* גבור עלי ירץ conf. *Josue X. 2. 1. Sam. 2. 4. 1. Reg.*  
*1, 8.* prior autem acceptio videtur omnium maximè hîc  
prævalere ob insignem aliquam quam cum textu nostro  
præsenti importat analogiam. Liqueat enim, quod *Nim-  
rod* ab Ecclesiasticis Scriptoribus cum *Satana*, tyranno illo  
A 3 in-

infernali & hic cum illo comparetur. *Lutherus* qui in aliis multis, ita & hic LXX. interpretes secutus, reddidit per nomen *Niesen*; præsertim cum sapius non tam verba, quàm verborum sensum & significationem respexerit. Gigantes autem *Flacio* sunt proprium quoddam genus hominum cæteris robustius. Appellationem Scripturæsi desideres, præferenda est sententia eorum, qui nomen נִפְלִיִּים *Gen. VI, 4.* quod vulgò redditur *Gigantes*, à radice נָפַל à cadendo aut irruendo deducunt; quod immani sua proceritate, & vel ictu, vel minis, vel conspectu; hominem cadere faciant, hinc dejectores dicti. Quamvis enim alii sic dictos putent, eò quòd ipsi per impietatem à DEO defecerint, (quæ denominatio si respiciamus ad Gigantem quem *Esaias* noster describit, quiq; primus à Deo defecit; equidem non inepta erit:) quia tamen eo tempore de quò *Gen. VI, 4.* agitur, plures fuerunt apostata, quorum non omnes נִפְלִיִּים dicti sunt; atque altera denominandi ratio simplicior simul & receptior est; in ea nos quoque acquiescemus. De *Gigantum* etymologia & historia fabulisque, non licet nobis hic facere verba.

Thef. IV.

Intimiorum autem postulat examinationem alterum textus nostri membrum, ubi verba ita sonant: וְאִם-שָׁבִי צְדִיק וּפְלִיט in Hæbræo & *an captum justi eripietur?* Chaldaeus Paraphraustes: וְאִם-דָּשְׁבוּ וּפְלִיטֵי יִשְׁתָּוִיב & *an id quod captivarunt innoxii sive justi eripietur.* Ebræum, שָׁבִי licet substantivè & in genere masculino usurpetur, & in regimine ponatur, ut videatur reddendum esse Captivitas & שָׁבִי צְדִיק sit *Captivitas Justi*; melius tamen placet versio, quæ habet *Captum Justum*, neutraliter positum; cùm non insolens in Scripturis sit, & foemininum & masculinum Ebræorum pro neutro Latinorum poni, quia Ebræi aliàs

aliàs Neutro genere carent. Itaque idem est, ac si dicas, *captivorum turbam*, quemadmodum *Jerem. XXIX, 14.* vox captivitatis accipitur. Nimirum abstractum pro concreto poni, frequentissimum est. Confer B. *Glass.* Rhet. S. Tr. I. Cap. IV. sect. 1 p. 51. (aliàs 1080. 1081.)

Thef. V.

33.  
3  
7  
39  
4  
13. 64

Salvâ hac ἡ φράσις verborum: ( & an captum *Justi eripietur?* ) de genuino horum verborum sensu non immeritò disquiritur. Ratio instituti nostri non postulat, ut Politicorum Scholas ingrediamur, & de quæstione illa: An jure militari cautum sit, sublatâ possessione munitenti alicujus vel civitatis, plebem vel potiùs Magnates ejusdem loci lucri causâ captivos deducere? solliciti simus. Quicquid sit de hac quæstione, Hebræum צדיק in Propheta nostro rectam postulat interpretationem. Detinebatur nimirum multitudo gentium promissa v. 18, 21. 22. velut præda sub robusto: & videbatur liberatio gentium, tanto minus speranda, quanto magis respectu judicii divini erat צדיק שבי Captivitas Justi, ipsius Justitiæ divinæ, velut principalis detinentis. Hinc benè monet B. *Glassius* צדיק שבי esse dictum vel ἡ δόξα ut intelligatur captura seu captiva turba Tyranni, qui se prædicat justum Dominum ac possessorem eorum, quos bello cepit, interim tamen est צדיק robustus perfractor, violentus & injustus hostis: quò sensu Pharisæi dicuntur Justi, *Matth. 9, 12. Luc. 15, 7.* qui scilicet tales esse sibi videbantur: ut explicatur *Luc. 18, 9.* vel κατ' ἀλήθειαν, ut intelligatur captivitas Justi scil. militis i. e. quam miles aut Imperator aut Princeps juste cepit, hoc sensu: Captivi Justo bello capti num liberari poterunt? quæ expositio pulchrè convenit rei ipsi, *sive enim*

enim textum hunc propheticum de captivitate Judæorum corporali & Babylonica, (quam sententiam tamen minimè nostram facimus,) *sive* de Captivitate hominum spirituali D'abolica, (quæ nostrâ est sententia & quem sensum ipse Christus *Matth.* XII, 19. *Luc.* XI, 21. 22. ostendit,) deque divina liberatione ex utraque intelligamus; verissimum utrobique est, captivitatem illam fuisse justam, si non respectu Captivantium, respectu tamen Captivorum, qui ob peccata atque ita justissimè pœnâ illa afficiuntur, ut & respectu DEI, justè in homines peccatores animadvertentis. vid. *Glassius* l. I. Tr. I. p. 105. Alii ita efferunt: Vox צדיק non respectum habet ad agentem sed patientem; non ad eum qui captivos facit, sed qui captivi fiunt. Forerius quoque intelligit justam captivitatem hominum sub potestate diaboli. *Cornelius à Lapide* ad vocem *Justi* ita commentatur: Homo & humanum genus dicitur *Justus* & *justum*, quia homo in *Justitia* à Deo est creatus, & quia respectu Diaboli erat *justus*, id est innocens atque injuste ab eo captivus tenebatur. Quibus in verbis quædam continentur, quæ cum grano salis sunt accipienda. De primo omnium nostrum parente ambabus largimur manibus, eum fuisse à Deo in *Justitia* imò & sanctitate inhærente creatum, quia ad imaginem DEI Justissimi conditus erat: sed quòd posterius Adami totumque genus, quatenus incidit in manus aut captivitatem Satanæ, habuerint justitiam propriam, negamus & pernegamus. Prius enim facti sunt peccatores, quàm Satanæ mancipia.

Thef. VI.

Hæc interrogatio, quam Sion i. e. Ecclesia Christiana; non autem synagoga Judaica infidelis, instituit, jucundum valdè responsum retulit. Interroganti enim, חַיִּים הַיְּהוּדִים num auferetur?

retur? <sup>וְיִשְׁמַח</sup> num liberabitur? Sponsus ejus re-  
spondit, *profec̄tò auferetur & eripietur captum forti &*  
*præda liberabitur à robusto*, quasi dicat: Omninò per Chri-  
stum robustum gigante liberabitur & salvabitur. Quæ-  
renti Sioni: quis potest à forti gigante, i. e. Diabolo, (non  
autem Rege Babylonæ) spolia auferre, prædam ex faucibus  
ejus extorquere? Sanè qui id faxit, inquit Sion, fortior eo &  
plusquam giganteo robore sit oportet. Huic Sioni respondet  
alter David: ego fortem alligabo & domum illius diripiam.  
Ad quam suavissimam Mesziæ responsionem inquit *August.*  
*serm. CLXI. de tempore: consumta est planè mors in vi-*  
*ctoria sua, cum Christum inferni legibus subjiciens, ipsa se,*  
*cum vincit, obruit.* In eo enim, in quo illum, quem se  
superasse credebat, possedit, ab eo victa est cum resurrexit.  
Talem textus analysin  $\chi$   $\sigma\omega\upsilon\alpha$   $\chi$   $\psi\phi\theta$  seu antecedentia  
& consequentia suadent: in qua tandem subsistemus neque  
prolixius circa hanc partem primam agemus.

Thef. VII.

Juxta hanc textûs analysin cui pars prima disserta-  
tionis debebatur; facilè constat & probatur sententia ve-  
ra, quæ tradit Prophetam in hoc capite non amplius  
occupatum esse in vaticiniis suis circa typos; sed anti-  
typum ipsum hic habere, imò Mesziam ipsum in hoc cap.  
XLIX. Oratorem & præconem disertissimum agere,  
præsertim autem *vers. 24. & 25. sermonem esse non de ca-*  
*ptivitate Babylonica, sed spiritali captivitate & detentio-*  
*ne animarum nostrarum in regno Satanæ, qui nos ibi vel-*  
*ut prædam detinuit.* Quæ sententia quidem communis-  
sima & certissima est omnium: at nihilominus sunt aliqui,  
qui eam suspectam reddere, & *vel* aliam de liberandis ex

B

per-

13. 66



persecutione Tyrannorum & pace ac tranquillitate externa donandis : Christianis, qualem Constantini Magni tempore contigisse putant , *vel* priorem illam de reducendis ex Babylonica Captivitate Judæis in locum illius substituere , *vel* alio quovis modo nostram hanc infringere conantur. Quare nostrum erit, ut firmiter demonstremus hanc & non aliam esse veram sententiam.

## CAP. II.

### Quo vera sententia probatur.

Thef. VIII.

**N**E autem circa initium capitis XLIX. statim scrupulus injiciatur, visum est, prius per solida fundamenta in subsidium eorum, quæ consequuntur, ostendere, non solum dictos duos, versus 24. & 25. circa spiritualia occupari; sed & initium & medium capitis poscere explicationem de Messia, ejusque officii, in hac terra peragendi, partibus utpote merè spiritualibus. Hisce dein probatis, de annexis hujus capitis non amplius erit ut solliciti simus: cum non probabile sit, præsertim in hac materia tam gravi, tamque subtili, Prophetam rupturam fecisse, &, cum omnia arctè cohæreant, duplicis generis materiam proposuisse. Sanè jam antea *Lutherus* ad initium cap. 49. scribere haud dubitavit : *Esaias*, prima parte absoluta hic novum quasi librum orditur. Mens *Lutheri* huc redit. Hactenus prophetias de Christo vel obiter saltem vel typicè propositas, & aliis sive de Babylonica captivitate, liberatione ipsoque adeo liberatore Cyro, prophetiis sive consolationibus & Elenchis populi tunc viventis, fuisse intermixtas: at hoc capite plenius omnia incedere & directè sine regressu

gressu ad typum literali sensu ad felicissima N. T. tempora  
ipsumque Messiam *Ἰησοῦς* & regnum infinitum specta-  
re. D. Calovius, p. 218. prolixè hac de re differit. *Missis*,  
ait, *affaniis Hebraeorum, Christiani plerique omnes agno-*  
*scunt hac Christum loqui, non Prophetam. Observandum esse*  
*ante omnia, Objectum, ad quod dirigitur hac compellatio, non*  
*esse Judæos, sed gentes quas ad Ecclesiam vocatas vult Dominus:*  
& adducit *l. cit. Calovius testimonium Hieronymi, ad vers. 1.*  
*verba: Audite Insula & attendite populi de longè; ita*  
*commentantis: Transit ad Ecclesias de gentibus congrega-*  
*tas & eis sub insularum nomine loquitur, quæ ita persecu-*  
*torum insidiis quasi maris fluctibus patent, & ex omni parte*  
*faviente naufragio tunduntur potius quam moventur. Ac*  
*ne quis putet, & i. lentam esse expositionem nostram, & non*  
*ad gentes pertinere, quod dicitur, sed ad Synagogas populi Ju-*  
*deorum, sequitur: & attendite populi sive gentes de longè;*  
*i. e. ab extremis finibus terre. Hæc Hieronymus Mün-*  
*sterus ad h. l. in eandem nobiscum sententiam incedit, fe-*  
*cit propheta, inquit, antea, nempe capp. præcedd. mentio-*  
*nem Cyri Regis. Nunc transit ab eo, qui typus fuit Christi, ad*  
*Christum & regnum ejus, docens, quid sit Christus, quod opus*  
*ejus, regnum ejus, qui veri Judæi, de futuro seculo in quo bo-*  
*ni & mali premiabuntur. Et ad prima capitis verba.*  
*יְהוָה יְדוּעַ דicit: Non loquitur Propheta sicut ante ad*  
*domum Jacob, sed vocat omnes gentes ad salutem, quam dif-*  
*fundendam asserit usque ad extrema terra. Et secundum*  
*Judæos hæc verba sunt Esaiæ de se ipso loquentis: secundum*  
*nostros verò sunt verba Meschia, quem Deus Pater ab utero*  
*matris suæ ordinavit & ad hoc destinavit ut esset salvator*  
*& redemptor. Testatur id ipsum Forerius, probaturus &*  
*initium & finem c. 49, Es. versari circa Messiam ejusque,*

officium in hac terra præstandum. *Hactenus multa, inquit, de Christo in Cyro vidimus & de populo DEI in Israelitis à Babylone deducendis. Jam nunc discussis umbris nonnihil apertius de mysterio Christi pronunciat Jesaias. Et hanc suam sententiam probat Forerius ex Actis c. XIII, 46. & 2. Cor. VI. 8. & tandem addit: Inducitur Christus principio capitis concionem habens ad universos populos, in qua suæ vocationis & muneris rationem reddit, significans gentiles pro Judæis substituendos, quos tamen pro filiis recognoscet Synagoga.* Consonat his *Cornelius à Lapide*, qui in summa adducit, quæ hactenus prolixè adjecimus, cujus comment. in Esaiam videtis, inter alia & hæc notanter scribit. *Transit hic Propbeta ab umbra ad veritatem, à Cyro ad Christum, à synagoga ad Ecclesiam. Hac enim non ad Cyrum nec ad Johannem Baptistam sed ad Christum pertinere docent scripturæ loca. Inducitur ergo hic Christus quasi concionem habens ad omnes homines, in qua suæ legationis adventus & officii rationem reddit, scil. ut omnes gentes ad Deum vocet, eosque Judæis in vera Dei Ecclesia subroget atque substituatur. Neque Sanctius in b. l. negat quæ hactenus superstruximus. Scribit enim, Prophetam singulari planè atque divino artificio libertatem Judæorum cum omnium gentium libertate, Christum cum Cyro, veritatem denique cum typo antegresso componere & conferre: superius vaticinium & libertatem c. 48. ad solam gentem Israelitidem pertinuisse, præsens ad gentes orbis terrarum, ad quas spectet melior illa longeque patientior libertas. Et quis magnam eorum numerum, qui in hanc rem conspirant, huic breviori opusculo inferere vellet?*

Thef. IX.

Interim non tantùm unanimis hicce contentus & docto-

ctorum circa primordium capitis nostri, quòd scil. ibi de Christo ejusque functionibus differatur, imò Messias ipse hanc totam prophetiam suam faciat; sed inprimis verba versùs sexti, quibus sermo Dei ad Messiam recitatur atque is *lumen gentium* fore prædicitur, quod sanè Messiaè proprium ἐγνώμων est, & ab Esaia suprà cap. XLII. 6. à Simone inter primitias novi testamenti, Christum in ulnis portante *Luc. II, 32.* (quòd etiam *Act. XIII, 47.* pertinet,) certò concludere jubent, in præsentì nostro themate ejusdem commatis materiam eandem de spiritualibus Messiaè beneficiis (tanquam sibi propriis) exhiberi, & Messiam ita loquentem introduci, ut à promissionibus ipsis, ad solvendas difficultates, quæ contrà stare videri poterant, tendat; sive ab iis, quæ quidem alicujus ponderis sunt, ad ea, quæ maximi momenti, procedat: cùm multum sit, diversissimas imò toto cœlo ab invicem remotas gentes ad unionem spiritualem sub uno Salvatore vocare; plurimùm autem, has gentes, compedibus Satanae ligatas, eripere, forti fortio- rem sese ostendere, & detentas penitùs liberare. Quemadmodum enim vers. 14. ad querelas Zijonis, *desertam & oblivioni se datam* existimantis; (quippe quod fidelium numerus deficere ad extremum videretur) mox Deus respondet, auctam potiùs in immensum iri multitudinem fidelium, vers. 18. seqq. ac *se sterilitas* objiciatur, tantò magis admirationi fore copiam filiorum spiritualium, docet: ita porrò ad alteram difficultatem tollendam accedit, à *dominatu* violento atque reluctantia hostium Christi & Ecclesiae, petitam; quippe qui omnes vires suas toto conatu opposituri sint, quòd minùs illi, qui sub ipsorum jugo teneantur, in libertatem filiorum Dei transferantur: dicit autem, nullam vim creatam sibi, Messiaè, obstaculo futuram, quippe

B 3

qui

33

3

7

39

4

13. 64

qui potius ipso opere ostensurus sit, se vim hostium superare, oppressos liberare, & in sortem filiorum Dei latam & felicem collocare posse.

Thef. X.

Merentur autem præcipuè observari loca parallela, quibus inter media Hermeneutica multum deberi constat. Quod enim Sion fidelis quaesivit, *האם תיבנה* num auferetur? & Messias responsi loco retulit; id Spiritus S. per os Evangelistæ Matth. XII. 18. Luca II. 21. exprimit & confirmat: ut huc redeat, quod aliàs dicitur, N. T. esse veteris complementum. Huic quaesito enim *האם תיבנה מנבור* respondit fortis ille Israelis: Imò cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea, quæ possidet. Si autem fortior eo superveniens vicerit eum, universa ejus arma auferet, in quibus confidebat, & spolia ejus distribuet. Sioni interroganti *האם תיבנה* num liberabitur? Liberator dicit: quidni si ego in spiritu DEI demones dejicio, ideo perveni in vos regnum DEI? aut, quomodo potest quisquam intrare in domum fortis & vasa ejus diripere nisi prius alligaverit fortem & tunc domum illius diripiet. Patet inde Captivitatem non civilem, sub Tyrannis hominibus, sed Satana, intelligendam esse, cum exsertis quoque verbis mentio fiat *Demonum*, quos Esaias *גבורי* gigantes vocat.

Thef. XI.

Cùm duo adducta loca pulchrè declarent sententiam nostram eamque probent, hinc dignati sunt patres tum Græci tum Latini in specie versus duos 24, 25. piis cogitationibus illustrare. *Cyrillus Alexandrinus*, Ecclesiæ Græcæ Doctor, satis luculenter in hanc rem scribit: *Captus est orbis terrarum à Diabolo, & à grege demoniorum, nec erat*  
cusa

cuiquam in terra integrum perversitatis tyrannidem effugere. Sed ego, inquit servator, detrahā forti pradam, & iugo servitutis abjecto libertatis gratia illustres reddam: mox addit: sed postquam ingressum est ipsum incarnatum verbum, ineffabili potentia ligato forti vasa ejus, i. e. qui eadem cum ipso sentiunt, ad se traxit. Clarissimum testimonium quoque est id, quod ex recentioribus Theologus quidam addit circa hanc nostram captivitatem spiritualem, & nervosè tangit totum negotium, quando scribit: *Cum DEO justo & Satana forti egit Messias, cum nostram solvit captivitatem. Cum Deo, cum justo iudice, cujus justitie satisfacibat: cum Diabolo, cujus robur infringebat.* vid. D. Calovius, c. 1. Etiam Calvinus ipse, qui tamen lubentissimè Judaizat, de Hæbræis fatetur, quod hunc locum accipiant de Meschia; in quam rem etiam Abarbenel consentit. Nec minùs Pontificii interpretes nostram illam intelligunt & adstruunt sententiam, Leo Castrius, Forerius, Sanctius, Cornelius à Lapide, Tirinus, Menochius: ex Reformatis plerique.

### CAP. III.

## In quo Examen & refutatio contrariarum sententiarum habetur.

### Thef. XII.

**H**Actenus dicta, etsi tam multis recta videantur, & hinc juxta Philosophorum canonem non rejicienda: præterquam quòd suo robore consistunt; non tamen frustrà acturi sumus, brevibus si dispiciamus, quæ à dissentientibus ex adverso afferantur. Ordinem ergo ab analysi textûs & vindiciis ipsius textûs Ebræi, quem quidam corruptum esse arbitrantur:

trantur. Scilicet jam olim *Vulgatus*, fonte deserto, reddidit: Numquid tolletur à forti præda? aut quod captum fuerit à robusto, salvum esse poterit? Atque hujus vestigiis insistere, placuit *Lirano*. *Castalio* autem *Vulgatum* defensurus, scripsit:  $\text{רַבִּי}$  non  $\text{צַדִּיק}$  legit *vetus*, qui vertit *robustum*, & rectè, ut videtur. Eodem modo *Wolffg. Musculus* in *Comment. positum esse per errorem צַדִּיק pro רַבִּי* & hunc secutus *Abrahamus Scultetus*, in *Idea Conc. in Jesaiam*, ad h. l. p. 700. legendum esse *robusti*, pro *justi*, docent. Ne autem præter causam textum sacrum corruptionis accusasse putentur, rationibus quibusdam se muniunt, præcipuè, quòd cum in sequenti versu 25. verba domini respondentis quæstioni propheta  $\text{וְצַדִּיקִים}$  congruant; hinc *Musculus* scribere non erubuit: Apparet ex versu sequenti, ubi habetur istorum repetitio, per modum responsi, positum hic esse per errorem  $\text{צַדִּיק}$  pro  $\text{רַבִּי}$ , quem lapsum facile accidere potuisse intelligunt, qui literarum istarum formas haud multum dissimiles inter se considerant. Sic & *Scultetus* rationem mutandi textus redditurus, *Id docet*, inquit, *repetitio sequente versu*. Prolixius paulò & majore conatu *Castalio* ad h. l. Rectè, ait, legit *Vulgatus*, qui vertit *robustum*. Est enim gemina sententia, eaque iisdem verbis repetita, nec consentaneum est, in repetitione non idem aut certè affine poni verbum. Adde quod, ut legitur, non est apta sententia. Nihil enim facit *Justitia* ad retinendam prædam: at ferocitas facit. *Forerius*, qui aliàs in præsentis negotio nobiscum consentit, circa vocem  $\text{צַדִּיק}$  tamen fluctuat, in eandem cum *Musculo* & aliis sententiam propendens.

Thef. XIII.

Sed ratiunculæ istæ tanti ponderis non sunt, ut suspicio-

cionem istam confirmare possint. Opponit huic opinio-  
ni B. Glassius (1.) reclamare omnium Hebraeorum codicum  
consensum, qui unanimiter קריצ legunt. 2. Chaldaeam Para-  
pbrasten, qui, licet non sit infallibilis, tamen propter anti-  
quitatem non negligendus, ita reddit וְשִׁבְרוּ וְכָפְרוּ  
וְשִׁבְרוּ 3. Eusebii autoritatem, qui scribit, ἀλλ' ἢ ἀδι-  
κως ἢ ἐβραϊκῆ λέξις δικαίως παρέχεται. i. e. pro injustè Ebrai-  
ca lectio justè habet; quibus B. Glassii responsionibus ad-  
di potest 4. Masoretarum cura, & in hoc opere sedula at-  
tentio: si quid circa hanc vocem fuisset monendum, sanè  
Masoretæ silentio illud non præteriissent. Quod autem  
Objectiones adversariorum attinet, sciendum primò, non im-  
meritò vitio ipsis verti, quòd non ex fontibus, sed rivulis  
& paludibus concludere velint: fontes puri fluunt, non ver-  
siones. Secundò, quamvis antiquus interpretes ita reddide-  
rit, non tamen videndum est, quid factum; sed, an jure fa-  
ctum. Certè hic ille nequidem secutus est Græcos interpretes  
quod aliàs solet. Hi enim quavis redderent, ἀδικως pro δικαίως,  
legisse se tamen testantur τὸ קריצ: existimasse autem, quod  
vox per ἀνύφορον sit intelligenda. De meliori coherentia  
cum versu sequenti quod objiciunt, invertimus potius,  
& dicimus; si ita maneat textus, uti stat, optimum eum  
consequentibus habere sensum, nec ulla mutatione opus  
esse. Agnoverunt sanè cæteri, non Nostrates solùm; sed &  
Grotius, Junius, Munsterus, Clarius. Nimirum illud וְשִׁבְרוּ  
קריצ dictum est, juxta aliquos quidem, (quales modò me-  
morati Munsterus, Clarius atque Junius) ἔδξα, opinione  
aut prætextu ejus, qui captivos retinet, sibiq; jus retentionis  
arrogat, licet sit injustus ac violentus hostis: Juxta alios  
autem κατ' ἀλήθειαν seu jure quodam verò, si non ex parte  
detinentium, (prout Grotius & alii Jus belli h. l. observant,  
C quam-

33

39

B. 64



quāvis ad corporalem captivitatem, qualis Babylonica  
erat, hīc respici, non satis rectē doceant: ) attamen ex par-  
te *captivorum*, qui iustē patiebantur captivitatis malum; *habito* simul respectu ad Deum, iustō iudicio eos captivi-  
tati subjicientem: quō Nostrates communiter tendunt.

Thef. XIV.

Quōd autem *Musculus* & ei consentientes alii scri-  
bunt; hunc *lapsum* (scriptoris, פ"ץ in פ"ץ mutantis)  
*facile accidere potuisse, intelligunt ii, qui literarum istarum*  
*formas haud multum dissimiles inter se considerant: rege-*  
*rimus, imō cuius apparere, notabilem esse disconveni-*  
*tiam inter has literas, neque quoad ductum aut figuram*  
*ita sibi invicem esse conformes, ut conspectum attenden-*  
*tis adeō fugere potuissent. Neque enim unius sed trium*  
*literarum mutatio asserenda est; sic ut פ in צ, צ in פ, &*  
*פ in פ conversa dicantur. Atqui, si maximē in primis me-*  
*diisque literis similitudinem quandam admittamus, postre-*  
*mā tam פ & פ aperte dissimiles sunt, neque fingi debet*  
*mutatio cujuslibet in quilibet, praesertim in textu sacro,*  
*super quo providentiam divinam tantoperē vigilasse, vel*  
*ipsa religio docet, & nos convincit. Relinquimus ergo li-*  
*teras, quae in textu habentur, & nullum hic admittimus*  
*mendum; prout illis placet.*

Thef. XV.

Audiamus nunc porrō, quomodo dissentientes sese  
torqueant circa initium capitis explicandum, ut eō felicius  
consequentia praesertim textus nostri sensum deserere aut  
impugnare queant. Satis probatum dedimus supra,  
allocutionem illam ad Insulas more Prophetico directam  
spectare ad disjunctissimas orbis terrarum gentes.

Adver-  
sarii

farii autem eam referunt ad domum Jacob & Synagogam  
Judaicam. Sed responderetur, *συνέπειαν* textus rejicere hanc  
objectionem: additur enim מרחוק לאומים *populi è lon-*  
*ginq̄uo*, vox ista מרחוק cum emphasi sua importat loca  
multis parasangis inter se dissipata, redditur alias adverbialiter  
*de longè*. Forerius intelligit remotissimas quasque  
nationes & putat Christum hic fermè ita eloqui: cum  
*toto orbe mihi res est*. Quam sententiam ipse Spiritus S.  
confirmat, dum *Esaia LX, 4.* in eodem sensu vocem מרחוק  
de Messia adhibet h. m. בְּיַד מְרוֹחוֹ יָבֹאוּ Luth. *deine*  
*Söhne werden von ferne kommen*. Nihil ergo lucrè  
faciunt adversarii hac objectione. vid. *Psalm. LXXII. 10.*

Thef. XVI.

De persona in hoc Capite *Esaia* loquente si quaratur,  
nostram fecimus sententiam, quod Messias ipse loquens in-  
troducatur. Adversarii autem contrarium tenentes, ad  
Prophetam ipsum applicant, nixi hoc fundamento, quia  
paria, nempe; *Dominus ab utero vocavit me*; de *Jeremia*  
dicta occurrant c. I. 5. Qualia & *Paulus* de se usurpet *Gal. I. 15.*  
sed resp. argumentum esse prorsus debile. Evolvant *Grotius*  
& alii *Scripturas*: paria invenient, aliquando *Prophetis* aut  
etià *hominibus vilioribus*, aliàs *Messia* adscripta. Annon *Jer.*  
*VI, 27.* habetur vox בְּחֹן cui respondet vers. 29. verbum  
צַרְרָה quod *Lutherus* reddidit *Schmelzen*/ id verò vel *Regi*  
*Babylonia*, vel *Jeremia* tribuitur; & tamen *Malach. III, 3.* צַרְרָה  
tribuitur ipsi *Messia*, quem locum *Judæorum* multi de *Mes-*  
*sia* explicant. Nonne hinc *diversitas ingens personarum*  
apparet? Dicit *Grotius*, hanc *Phrasin*, *Dominus ab utero vo-*  
*cavit me*, *Hebraeos interpretari de egregia temperatura ce-*  
*rebri, qua Deus à primo ortu donare solet eos, quos prophe-*

3.  
tie preparat. Ast, minùs religiosa æstimatio est vocatio-  
nis Prophetarum, si collationem cerebri temperatoris hóc  
nomine denotari perhibeas, quod destinationem personæ  
ad munus sacrum suo tempore obeundum, unà cum dono  
illuminationis supernaturalis eidem conferendo, significat.  
Messiam autem vocatum esse ab utero, & nomen accepisse,  
cùm adhuc esset utero matris inclusus, scimus ex Scriptu-  
ris N. T. *Luc. I, 39. Matth. I, 21.* quamvis ei dona non tan-  
tùm creata & finita, sed omnes thesauros sapientiæ & sci-  
entiæ communicatos sciamus, videlicet *uncto non ad men-  
suram*, planè *pre consortibus* omnibus. *Job. III, 34. Psal.*  
*XLV, 7. Ebr. I, 9.* Atque hæc nobis h. l. possunt sufficere,  
reliquis omissis, cùm non sint nostri instituti, quæ adferunt  
adversarii ad detorquendam mentem Prophetæ: quando-  
quidem si attendatur, mox pateat, nihil esse in toto capite  
quod non propriè ac directè ad Messiam ejusque officium  
spectet.

Thef. XVII.

Interim nixi hujusmodi circa scopum & summam ca-  
pitis interpretationibus, *Grotius* ejusque affectæ, invadunt  
thema nostrum & illud intellectum volunt de *Captivitate*  
*& liberatione Babylonica corporali.* Nec mirum est, èνδς  
*αίτιας δοξείν* & *ταύτα σαυμαίνειν.* aut temporalibus intentos  
homines, mysteria spiritualium bonorum minùs invenire.  
Propius accedunt ii ad mentem Prophetæ, qui de *redemptione*  
*per sanguinem Christi*, intelligunt, *quà nos è potestate Satanae*  
*liberati sumus*, juxta *Ebr. II, 14.* Verùm quamvis illa redemptio,  
ut causa meritoria rectè adducatur prædæ hujus per vocatio-  
nem gentium Satanae eripiendæ, ipsa tamen *ereptio actua-*  
*lis è regno Satanae* quæ virtute meriti Christi fit, rectiùs hic  
intelligitur.

Thef. XVIII.

Expendenda autem denique nobis est *Brentii* ἐξή-  
γησις,

nois, quæ per gigantem & τὸ πῆρὸν intelligit reges & Ty-  
rannos, sub quibus fuerant gentes ad Christum converten-  
dæ, illisque eripiendæ, ut Christo se submittant. Sic  
enim is ὁ δὲ φράζει hunc textum, *Admirantur, inquit, Apo-  
stoli & alii pii ex Israelitis, quomodo fieri possit, ut tot Gen-  
tes, repugnantibus suis Regibus & Tyrannis, adduci queant ad  
Christum & Ecclesiam. Gentes subjectæ sunt fortibus heroibus  
& potentissimis tyrannis. Quomodo queso fiet; ut ab his  
invitis & resistentibus, populus quasi præda ad regnum Chri-  
sti abducatur?* Est sanè nonnemo, qui hanc Brentii sen-  
tentiam cum illa de liberatione hominum è regno Satanæ,  
eodem recidere putat & expressè scribit. Convenientiam  
autem non ostendit, quemadmodum sperabatur. Sed jam  
pridem L. Oslander in sua Paraphrasi utramque sententiam  
conjunxit, scribens: *Quis Diabolo poterit eripere Gentes,  
quas tanquam prædam captas tenet in suis manibus? Quis  
Tyrannicis Imperatoribus extorquere suos subditos, ut dere-  
lictâ gentili impietate, Christo nomen dent? quibus sub-  
nectit responsionem Messix aut Christi: Quamvis humana  
rationi sit incredibile, quòd præda possit eripi Satana & Ty-  
rannis, qui miseros homines in potestate sua captivos tenent:  
tamen certissimè fiet, ut qui præda & captivi Diaboli & Ty-  
rannorum erant, liberentur & ad Christi Ecclesiam colligan-  
tur.* Nimirum Tyranni illi gentiles, qui subditos in infi-  
delitate cultibusque idololatricis continebant, & à consor-  
tio fidei atque Ecclesiæ arcebant, Satanæ ministri aut in-  
strumenta erant; atque his eripere gentes, & quidem per  
conversionem ad fidem & Ecclesiam (potius, quam colla-  
tionem liberatis civilis & externæ;) idem erat, atque  
ipsi Satanæ captivos eripere. Sic, quantum ad rem attinet,  
non, opinor, erit pugna aut diversitas inter Brentianam il-

lam atque alteram Nostratium sententiam. Equidem si verborum vers. 23. sensum & significationem consideremus; præsertim vero loca illa *Matth. XII. & Luca XI.* in subsidium vocemus, facilè se commendat ea interpretatio quæ per fortem illum ipsum Satanam; atque ita in sequentibus liberationem hominum è regno Satanæ intellexit, sic ut Christus dicat, se cum forti illo pugnam ingressurum ac suos liberaturum: quemadmodû si complementum vaticinii spectes, res sese omninò habet. Duo fortes hic manus glomerarunt: *Satanas* unus gigasq; robustus, qui, quamvis à sua parte inique & injustè, justo tamen Dei iudiciò possedit animas hominum, velut prædam: alter *Christus*, gigas geminæ substantiæ, petens quæ sua sunt & quæ Pater ei dedit: nec petens tantûm sed eripiens, ac secum abducens. Interim non excluduntur Satanæ organa aut ministri, Christo & Ecclesiæ adversantes.

Thef. XIX.

Facit autem ad conciliandam Brentii cum altera Nostratium pluribus recepta sententiam, quod *B. Varenius* notat: Interrogationem scilicet vers. 24. esse generalem, ita ut Satanam unà cum organis suis spectet: nimirum quòd *Sion*, præter *Diabolum, tenebrarum principem, pertinacissimum detentorem; passa* etiam fuerit, *impulsore Diabolo à Tyrannis & persecutoribus.* Itaque utrique tentationi opponi firmamentum in responso divino: Et versum 25. quidem loqui de superando Satanæ robore per robustiorem, Christum: sed quòd posteriore parte versûs 25. ac porrò versu 26. additur, intelligi debere respectu tum *Filiorum, Sionis servandorum, tum hostium contentiosorum reciproco supplicio perdendorum:* atque hujus prophetiæ complementum esse in *Ecclesia N. T. primitiva & hujus hostibus, Tyrannis*

nis

nis illis ac persecutoribus, quales ad usque Constantinum Magnum fuerint Caesarum plures, & immediati in primis Antecessores. Sic (1.) firma manet liberatio captivorum à Satana, per Christum impetrata: eaque (2.) ratione spiritualis captivitatis animarum, præsertim vigente adhuc Paganismo; ubi Satanas quàm maximè dominatus fuit, atque homines idololatriæ addictos, velut vinculis constrictos detinuit. Et tamen (3.) liberatio illa, etsi eò successu facta, ut Principes ipsi ad Ecclesiam & religionem Christianam perducerentur; non tamen spectatur ratione tranquillitatis externæ, quam Ecclesia obtinuit, sed ratione manumissionis à jugo infidelitatis: atque adeò ipsius Satanæ. Quæ quidem h. l. quamvis plura adhuc dici possint, pro ratione instituti facile sufficiunt.

#### CAP. IV.

### Exhibens usus Theoretico-Practicos secundùm Articulum de liberatione animarum nostrarum ex faucibus Diaboli.

#### Theol. XX.

Consideratis, quæ directè & propriè textum nostrum respiciunt; de usu ejus Theoretico-Practico paucis differemus. Quemadmodum autem in textu ipso continetur doctrina de Captivitate & liberatione animarum nostrarum, quæ tam cognitu sublimis, quàm scitu necessaria est; ita facile constat ejus habitudo ad Articulum de Merito & satisfactione Christi, qui centrum totius Theologiæ & Sacer

Ocea-

Oceanus est, ex quo omnes Articuli fluunt & in eum refluent. Confirmatur itaque presentibus Prophetæ Esaiæ verbis cap. XLIX. v. 24, 25. quod in *Catechismo Minore B. Lutheri* docemur, quod *Iesus Christus* nos perditos & damnatos homines redemerit, & ab omnibus peccatis, à morte & potestate *Satana* nos liberaverit. Et quod in explanatione Articuli III. docetur: *Credo me propriis rationis meæ viribus Iesu Christo, Domino meo fidere, aut ad eum accedere & pervenire nullo modo posse, sed Spiritus sanctus (qui & Spiritus Christi est,) per Evangelium me vocavit, &c.*

Thef. XXI.

Unde speciatim apparet, quis sit *status noster* in quem per *natura corruptionem* inde à lapsu *Protoplastorum*, translati sumus, & in quo hæremus, quoad usque extra Christum sumus; infelix nimirum & miserrimus, qualis est captivorum: quorum nomine auditò, colluviem quandam malorum concipimus. Ea verò captivitas tantò deterior est, quò violentior Tyrannus, qui cepit ac detinet: Hostis nimirum ille Dei atque hominum.

Thef. XXII.

Docemur itaque porrò de *Magnitudine virium Satana*, qui omnes gentes, teste Paulo *Coloss. I.* potestati tenebrarum subjecit olim, & sub ea multis seculis detinuit: cui si quid DEUS permittat, indomitum furit, quæque humanas vires longè superant, incredibili celeritate perficit. Et quamvis in veritate non steterit, sed mendax & mendacii, omniumque scelerum pater sit; causam tamen suam juris titulò ac prætextu velat, quippe quod per peccatum in nos obtinuerit.

Thef. XXIII.

Ex quò ulterius deducimur ad agnoscendam *Peccati noxam* gravissimam. Scilicet homines ad imaginem Dei vi-

vitæque æternæ hæreditatem conditi, plenam inde libertatem filiorum Dei nacti erant. Hactenus nihil juris Diabolo in eos erat : Nulla vis nocendi iis competebat. At per peccatum accidit, ut illi à Deo desciscentes, Satanæ mancipia fierent. Per lapsum Protoplastorum, totum humanum genus in suis personis sustinentium, omnes reputati sunt peccatores ; & subductâ parentibus primis Imagine divinâ, jam posteri omnes eâ destituti, nascuntur cum peccato, quod stylo Ecclesiastico Originale sive Originis peccatum dicitur, per naturalem generationem propagatum. Hic erat fons & scaturigo totius mali subsequuti, præsertim Captivitatis animarum nostrarum. Jamque propter suum quisque peccatum in ipsa nativitate factus est morti spirituali, temporali & æternæ obnoxius.

Thef. XXIV.

Cognitâ mali gravitate, jam clarissimè apparet magnitudo beneficii divini, quando Deus nostri misertus, captivis nobis, jamque ad interitum tendentibus, subvenit suâ ope, cum alia omnis vis deficeret. Scilicet quantum gravius erat malum, unde liberati sumus ; tantò plus est, esse liberatos : maximè verò, si consideremus, ipsum illum, quem offenderamus, & coram cujus tribunali reatum perpetuæ captivitatis incurreramus, amore prorsus singulari, liberationem nostram procurasse.

Thef. XXV.

Cum autem liberatio hæc λύτρον seu redemptionis pretium requireret ; idque ἡμίαντα cognatus simul & redemptor noster, Jesus Christus solverit, *non argentò vel aurò, sed sanguine suo unice pretioso*, juxta 1. Pet. I, 18, 19. jam rata est & firma nostra liberatio. Quamvis enim Diabolo pretium redemptionis solvendum non fuerit, neque adeò solutum :

D

Ju-



Judici tamen DEO præstari debuit, qui Satanæ velut Li-  
ctori necessitatem imponeret, dimittendi captivos, vel con-  
tra voluntatem.

Thef. XXVI.

Contingit autem exitus ex illo carcere, aut manu-  
missio actualis, quando *λύτρον* à mediatore solutum & per  
media verbi ac sacramentorum nobis oblatum, fide facimus  
nostrum. Hâc ratione jus illud à Satana affectatum in nos il-  
lico evanescit.

Thef. XXVII.

Et quemadmodum aliàs docemur, Baptismum (qui  
in adultis, per verbum conversis, obsignat; in infantibus ex-  
citat fidem;) conferri in remissionem peccatorum: ita,  
non immeritò sacramentum hoc considerandum est, tan-  
quam medium liberationis à captivitate Satanæ. Quam in  
rem pulchrè *Cyprianus* Lib. I. Ep. VI. (quæ *Pamelio* Episto-  
la LXXXVI. est, sect. II.) Baptismum *mari rubro* compa-  
rans, in quo Pharao tyrannus periit, Israelitæ libertatem na-  
cti sunt; *Cùm ad aquam salutarem atque ad baptismi sacri-  
ficationem venit, ait, scire debemus & fidere, quia illic  
Diabolus opprimitur, & homo Deo dicatus divinâ indulgen-  
tiâ liberatur.*

Thef. XXIX.

Actioni baptismali conformans se ritus, qui *Exorcismi*  
vulgò vocatur, vim peccati Originalis, dominium Satanæ,  
cui subest infans baptizandus propter peccatum, tanquam  
filius iræ & caro de carne; nec non baptismi efficaciam plu-  
ribus exponit. Calvinianis autem planè displicet, imò fu-  
des in oculis hic ritus est. Dividuntur quidem in duas  
classes circa hoc punctum. Alii impetuosius & majori cum  
contumelia; alii lenius non nihil, sed tamen pertinaciter  
abo-

abolitionem hujus ritus urgent. D. *Elias Grebnitius* in lib. cui Titulus *Unterricht von der Reformirten und Lutherischen Kirchen.* c. 2. dissensum utriusque Ecclesiae de baptismo ostensurus, tandem in Exorcismum invehitur, & §. 2. scribit; *abhorre reformatos ab eo, & quidem quod in eo consistat abusus nominis divini, qui revera magia sit.* *Heideggerus* paulò lenior fermenti Pappistici aliquid Exorcismo inesse perhibet. Diatribæ prior: §. 70. p. 119. 120. Sed non est, quòd ritum hunc deseramus, qui in Ecclesiis aliquibus non ut necessarius, sed ut adiaphorum quoddam retinetur. Regerunt quidem Calviniani; si Exorcismus exerceatur in Ecclesia, significari, matrem non tam infantem quàm diabolum, aut saltem corporaliter à diabolo obsessum infantem in lucem edere: sed vana est hæc Objectio. Nam Exorcismus non eò fine aut sensu adhibetur in baptismo, ac si infans corporaliter obsessus coram baptisterio sisteretur & sic Diabolus inde ejiciendus esset; minimè. Sed innuitur formula solita, quòd nunc & imposterum *Satanas* non habeat, quòd *ἐξοίας* suam in infante regenerato & sanctificato exercere possit.

Thef. XXIX.

Meritò quoque hic redarguitur error *Pelagianorum*, Peccatum Originale negantium: quasi natura nostra per peccatum non sit corrupta; quodque imitatione potius, quàm generatione peccatum in mundum introierit. Quibus vicini sunt, qui peccatum Originale extenuant, & vim ejus ac miseriam inde natam non agnoscunt, sed minuunt: quasi ex minimo peccatorum genere sit, aut *omnium peccatorum levissimum, ita ut poenà etiam omnium mitissima plectatur.* Quam *Andradii* Assessoris & Defensoris

D 2

Con-

Concilii Tridentini sententiam esse constat, L. V. de P. O. p. 451. b. Neq; alieni ab errore sunt Reformati illi, quibus ideò Exorcismus displicet, quòd sententiæ de *sanctitate fœderali* infantum ex Parentibus fidelibus genitorum repugnare videatur. Denique hîc omnes impingunt & redarguuntur, qui hominibus extra Christum atque Ecclesiam fidelium viventibus, libertatem spiritualem, justificationem & salutem pollicentur: Frustra profectò, quando illos sua constringunt vincula, suos continet carcer, atque in servitute dura ac dira detinet Tyrannus, (etsi suæ sortis ignaros, & qui sibi quàm pulchrè liberi videntur) quoad usque *Filius eos non liberaverit*: quod actu non contingit, nisi per fidem.

Thef. XXX.

Stante sententiâ, quæ tradit P. O. causam fuisse Captivitatis animarum nostrarum, nosque hinc liberatos; jam anima habet, unde moneatur ac moveatur ad vitam libertate sua dignam sectandam. Scilicet *liberati à peccato, servi facti sumus justitiæ*: juxta illud Pauli Rom. VI, 18.

Thef. XXXI.

Utinam verò omnes mortalium animo perpenderent statum superiorem, quò tam graviter laborarunt! neque in pristina peccata inciderent & in Satanæ vincula sponte iterum concederent! Quo tamen casu verum evadit illud, quod dicitur II. Petr. II, 22. *Si, posteaquam refugerunt, ab inquinamentis mundi peragnitionem Domini & servatoris Jesu Christi, tamen bis rursus involuti superantur, facta sunt illis postrema pejora primis. Satiùs enim fuisset illis, non cognovisse viam justitiæ, quàm ubi cognoverunt, converti ab eo, quod illis traditum fuit sancto præcepto. Verùm accidit illis,*

illis, quod vero proverbio dici solet; *Canis reversus ad suum vomitum & sus lota in volutabro luti.*

Thef. XXXII.

Cautò igitur opus est, ne animam nostram securam relinquamus, si semel Deo reconciliata, sanguine Christi tincta & Satanæ erepta sit. Semper enim vigilat, semper insidiatur & retia tendit Satanus, ut nos captos prosternat, sibi que subjiciat. Securitatem autem sæpiùs aut gignit aut comitatur spiritualis fastus, quò fit, ut homines viribus suis plus quàm par est tribuant: inde de periculo minùs timeant. Cujus si Satanus flammulas in corde hominis oriri videat, cumq; his etiam indulgere; facilè hinc fumum securitatis animæ objicit, atque in varii generis peccata imprudentem præcipitat, unde æternum sequitur exitium.

Thef. XXXIII.

Quamquam verò pro ratione præsentis statûs non possumus Ecclesiam nostram militantem penitus liberam à Satanæ & mundi irruptionibus aut tentationibus appellare: nihilominus Ecclesia adhuc habet, de quo sibi gratulari potest, cum membra ejus non amplius sint mancipia Satanæ, sed filii Dei. Si autem *filius Dei, sunt etiam hæredes DEI & coheredes Christi. Rom. VIII, 17.* Quamvis enim Satanus tentationibus ultimam manum nondum imponat, ejus tamen non est amplius, nobiscum agere, quasi adhuc suis: cùm potestas ejus valdè debilitata sit, nobis autem Christus adstet, qui, postquam semel vicit Satanam, facilè faciet, ne *portæ inferorum unquam prævaleant adversùs Ecclesiam suam. Matth. XVI, 18.*

Thef. XXXIV.

Consolatione plenus autem est hic Articulus etiam

D 3

cui-

cuius Ecclesie membro in singulari. Si enim vel conscientie morsus sentiat, ex memoria veterum peccatorum; vel angores aliquos ex presentis infirmitatis sensu; noverit tamen, a iugo peccati & Satanæ se liberatum, jamque hæredem futuræ beatitudinis factum. Itaque angor cordis, etsi sit ingens, furor Satanæ gravis; Christus tamen victor animam à solitudinibus spiritualibus liberam faciet, qui sanguine suo meruit liberum ad patrem cœlestem aditum, qui gemitus fidelium & afflictorum exaudit, solatio verbi sui subvenit, spiritum S. cordibus immittit, qui contra spiritum malum in excubiis stat, ne sagittas suas in animam Christi sanguine mundatam rursus injicere possit. Et sic homo non habet, cur anxium sese reddere debeat: licet tota turba afflictionum, Satanæ instinctu exortarum, super caput suum irruant.

Thef. XXXV.

Præsertim agonizantibus, & in limine mortis constitutis, ingentem instillat consolationem Liberatio ex Captivitate peccatorum, & status præsens animæ nostræ, præ illo, quo adhuc morti obnoxia erat. In ultimo vitæ momento si Satanæ adhuc periculum faciat, an animam ut prædam deportare possit; solamine plenus esse potest homo, quia Deum reconciliatum habet. Si enim *Deus pro nobis, quis contra nos?* Non Satanæ: nam ejus victor Christus est. *Osee XIII, 14.* Non mundus: *Christus vicit mundum. Job. XVI, 33.* Non infernus: *Christus nos inde liberavit, eumque devastavit. I. Cor. XV, 15.* Non peccatum: id enim in *profundum maris trajectum est. Micha. VII, 19.* Non caro & sanguis noster: quibus jam suus finis cum vita nostra imminet; ut proinde liberatis è faucibus Satanæ, regeneratis & san-

sanctificatis per spiritum : quò opera carnis ( in hac vita ad-  
huc ) mortificare possumus , nihil posthac nobis noceat.

Rom. VIII, 13. Summa s' d'ev' x'ol'one qua nulla condemnatio  
est in his , qui in Christo IESU sunt.  
l. c. vers. 1.

F I N I S.

VIRO-JUVENI

Genere, Indole, Doctrinà, & , quæ his longè potior,

VIRTUTE EXCELLENTI,

DN. GEORGIO BALTHASAR. SEELIG,

Pædagogì de juventute Christi in dies merentis optimè  
filio spei amplissimæ,

Amico mihi in primis suspiciundo,

Eximias has Studii sacri primitias,

quæ integritatem vitæ academica, quæ exemplo aliis esse  
queat, impensè gratulor!

\* \* \*

I Ngenii cernens lumen , tantosque la-  
bores

S A L A Tuos , quanti Nominis Omen!  
ait.

facieb.

GEORG. GOEZIUS, Past. Jenens.  
Primar. Consist. Supr. Adfess. Sup.  
General.

Vi-

**V**lyda mens arcto non limite clauditur, amplax  
Ad decoris tendit splendidioris opes.  
Egregiis clares ausis, Tibi plaudimus, ecce  
Ingenii specimen docta papyrus habet.

JO. ANDR. *Schmidt* /  
Log. & Metaph. P.

---

**E**N TIBI primitias studiorum, Fautor amande!  
Grata Tuæ messis Patriæ mox inde sequetur.  
Gratulor ergò TIBI, votumque medullitus addo:  
Vive decus Patria, nec non Spes lata Parentum!

*Hisce Nobilissimo Dn. Respondenti, Fautori,  
Amico atq; contubernali suo desideratis-  
simo gratulabatur*


JOH. HENRICUS *Werner* /  
Thôravienf. Thur.


---

**P**ressa pedum studio sectaris signa Sophorum,  
Non operi assuetas attenuasse manus  
Tadet, Teque Viris Illustribus inseris olim,  
Exin debetur gloria Magna Tibi.  
En! dum vestigas momenta hac nave sagaci  
Ardua, Te mortis nescia fama manet.


*Ex affectu sincero & gratulante  
animo scrib.*


CONTERRANEI.





























EPISTOL. AD EPHES.

in caelis versamur. Ut itaque benedici  
is, quæ præsentem vitam eiusq; commo-  
ci ac cumulari; ita benedici in caelis est  
quæ propria sint civium regni cœlestis,  
in caelis transigendam faciant, nempe  
Christi, fide, spe & charitate. Additur au-  
fundamentum enim hujus benedictio-  
træ electionis est Christus. Nam ubi DEO  
neris misereri, quia tamen justitiæ satisfie-  
Filiū mittere, qui propitiatio fieret pro  
is, & propterea subjungit: \*SICVT ELE-  
D, respiciens scil. ad meritum & satisfi-  
nobis fide apprehendendam, nos saluti  
IACTVM FVNDAMENTVM MVN-  
a, I, v. 9. *ante tempora seculorum*, hoc est, ab  
ternitate. Ante conditum enim mun-  
dit tempus, nil nisi æternitas, VT SIMVS  
VLPATI, quantum quidem hujus in-  
i ipsius gratiam & carnis nostræ infirmi-  
N CONSPECTV IPSIVS, hoc est, sine  
latione, utpote qui sciamus in ipsius cō-  
ab ipso ubi vis locorum præsentissimo  
pici, CVM CHARITATE, hoc est, ut  
a serviamus ipsi non formidine poenæ,  
liberaliter, & ex charitate, sive secundum  
e, *ut è manu nostrorum inimicorum liberati*  
*nititate & justitia in conspectu ipsius cum-*  
Luc, I, 24. Nempe quando Deus ab æter-  
generis misereri & Filiū mittere, adeoq; in-  
ideo hoc voluit, ut haberet gregem, si-  
infra est cap. v, 27. *Ecclesiam à qua agno-*  
*t, sine macula & ruga, sanctam & inculpa-*  
SAM.

7. 42